



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

36. An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes, afficiat
contrauenientes ex ignorantia affectata, siue sit iuris, siue sit facti? Ex quo
infertur legentes libros Hæreticorum ignorantia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

quo acti peccare mortaliter, etiam contra legem Ecclesiasticam, vel crassa eius ignorantia laborant: quia, non obstante notitia legis, ut est preceptiva, vel crassa eius ignorantia, laborant ignorantia invincibili eadem, ut est illativa censura, eo quod videlicet, nec quidquam de tali censura unquam audiverint, nec ex aliquo alio cognito facile eius notitiam comparare poterint. Quia ratione plerumque, non solum rustici, sed etiam alij plebei ad plurimas censuras possunt exculari, quamvis commiserint peccatum, cui annexa est censura. Quare prudens Confessarius non debet statim indicare tales incurrisse excommunicationem; sed quibusdam interrogationibus debet conari investigare, num eorum ignorantia, respectu ipsius censurae fuerit invincibilis, quando factum perpetrabant. Quod si deprehendat, ignorantiam fuisse invincibilem, potest indicare, tales non incurrisse excommunicationem, & si casus sit reservatus propter excommunicationem, potest indicare in ea circumstantia, casum non esse reservatum, setque posse ab eo absolvi; quamvis alioquin non posset absolvi ab excommunicatione.

5. Imò hinc dicta possunt habere locum in variis Religiosis, qui excommunicationes non ita facile possunt cognoscere, qui proinde possunt ab iisdem exculari. Idem dicendum de variis suspensionibus, quarum ignorantia potest esse invincibilis, etiam respectu Clericorum, & proinde si Confessarius ex circumstantiis possit advertere aliquem, etiam Sacerdotem, laborasse ignorantia invincibili, quod suspensio esset annexa actui, quem exercuit, poterit indicare talem non incurrisse censuram. Hæc omnia Præpositus.

6. Et tandem non desinam hic adnotare ea, quæ observat novissimè Magister Serra in part. 2. D. Thomæ, tom. 2. q. 76. art. 3. dub. 2. sic enim ait [Tertia sententia est, ignorantiam mortaliter culpabilem, tam facti quam iuris communis pontificij, quam etiam censuram, excusare non solum à pœna excommunicationis; sed etiam à cæteris omnibus aliis censuris, suspensionibus, interdictis, irregularitate, &c. Si tamen ignorantia non sit crassa, vel supina. Hanc tenent recentiores permulti. Probat ex cap. Cum animarum periculis obviatur, sententia per statuta quoruncumque Ordinariorum prolati ligari volumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. Vbi per sententias, Glossa intelligit quæ ligant animam, ut locum habeat proxima ratio. Cum autem huiusmodi sint non solum sententia excommunicationis, sed etiam aliarum pœnarum spiritualium, ac censurarum, suspensionis, interdicti, irregularitatis, &c. de his omnibus ibi est sermo; & nulla est ratio, ob quam ad solam sententiam excommunicationis restringatur. Quod ibi dicitur, per statuta quoruncumque Ordinariorum intelligenda etiam esse Statuta Summi Pontificis colligitur, quia, ut ait Sylvest. verbo ignorantia, §. 8. Non dicit, quoruncumque Ordinariorum locorum; cuiusmodi sunt Episcopi secundum glossam; sed quoruncumque Ordinariorum simpliciter, ut includeretur etiam Papa, qui est omnium Ordinariorum Ordinarius. Et præterea, quia de his eadem est ratio, ut scilicet, periculis animarum obviatur, imò maior, quia Papæ statuta plures ligant, & minus publicantur, ut ibi dicit Sylvest. Denique cum ignorantia crassa, & supina, ut patet ex dictis art. 1. ab ignorantia vincibili distinguatur, hæcque sine illa esse possit: nam ad ignorantiam vincibilem sufficit, ignorare, quod homines nonnullam suæ salutis curam habentes, communiter sciunt; ad crassam vero, & supinam requiritur ignorare, quod omnes communiter sciunt, & ut procedat ex nimia negligentia, & lata, aut lassissima culpa in adhibenda diligentia: constat autem non solum hoc, sed etiam primum ignorare

posse, & utrumque esse mortaliter culpabile: sequitur, quod ignorantia mortaliter culpabilis poterit à pœna excusare. Huc usque Serra, qui postea asserit, omnia supradicta satis probabilia esse; & idcirco subdit: [Excommunicatio autem, suspensio, interdictum, ac etiam irregularitas, pœnæ sunt extraordinariæ, quæ non sequuntur ex culpis secundum se, & absolute sumptis; sed ratione gravitatis superadditæ ex contemptu earum, & contumacia. Cumque ab hac gravitate, contemptu & contumacia excuset ignorantia, quæ non est crassa, aut supina; etiam ab incurfu talium pœnarum excusare asserit tertia sententia.] Ita ille, qui tandem etiam notat, quod, quando lex apponens pœnam, requirit, ut delictum fiat scienter, si hæc ex ignorantia, non incurrit pœnam: nam ignorantia excusatur à qualitate, vel gravitate delicti, ob quam fuit pœna apposta. Solet lex scientiam requirere, aut verbis expressis, ut cum dicit, si quis scienter; vel æquivalentibus, ut cum dicit, si quis presumperit; aut si quis temerè, &c. Tunc autem, qui delinquit ex ignorantia etiam crassa, vel supina, non incurrit pœnas: quia ut ait Caietanus 2. 2. q. 53. art. 3. verba iuris non frustra apposta, nec improprie sumenda sunt. Apponentur autem frustra prædicta verba, & non cum proprietate restrictiva sumerentur, si pœnæ incurrerentur à delinquentibus ex ignorantia saltem crassa. Ignorantiam affectatam quidam existimant non excusare à pœnis statutis, etiam contra scienter delinquentes: nam nihil minuit de culpa, & idem est peccare ex ignorantia affectata, ac ex certa scientia. Aliis oppositum videtur probabilius: nam Superior illis verbis exigere videtur certam, & expressam scientiam, ac ingentem temeritatem, præsumptionem, vel contemptum, quibus caret, qui peccat ex ignorantia, etiam affectata.

7. Unde ex his omnibus, quæ magister Serra observat, & de quibus ego etiam alibi, Confessarij in casibus occurrentibus multa scrupula evanescere faciunt, & consolationem Pœnitentibus afferent. Et ne delectas recognoscere, me citato, Quintanadueñas tom. 1. tr. 9. sing. 6. n. 4. & Ioannem Præpositum, in part. 2. q. 95. disp. 5. dub. 5. n. 18. ubi docet, ignorantiam, etiam vincibilem, dummodo non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnas legis, v.g. excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, inhabilitatem ad officia, ratione simoniæ, & alias graves pœnas. Et nota, omnia supradicta, tanquam probabilia, me citato, docere etiam Patrem de Lugo, de princ. Theol. mor. p. 2. c. 4. q. 3. n. 33. & seqq. omnino videndum.

RESOL. XXXVI.

An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes, officiat contravenientes ex ignorantia affectata, sive sit iuris, sive sit facti?

Ex quo inferitur legentes libros Hæreticorum ignorantia affectata non incurrere excommunicationem latam in Bulla Cœne, quæ fertur contra scienter legentes.

Etiamque deducitur à fortiori non incurrere in censuram, qui ex ignorantia crassa, sive sit iuris, sive sit facti, violat excommunicationes latis contra scienter aliquid facientes, vel presumptis facere. Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 7.

§. 1. Affirmativam sententiam tenet Layman, in Theol. mor. l. 5. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 8. Suar. in 3. p. in Ref. 33 §. 14. & in Ref. 34. §. 1. post med. à vers. Graffius in dec. tom. 1. l. 4. c. 9. n. 83. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, ut patet in eos qui, de temp. ord. in 6. ibi scienter seu affectata ignorantia, ubi glossa, in vers. scienter. Hæc opinio est probabilis.

2. Sed tract. 2.

Sup. hoc in Ref. seq. §. ult. & in aliis eius annot.

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis §. eius primæ not.

Alibi in omnibus Ref. annoratio- num §. præteriti huius Ref.

Sup hoc sup. in §. Et tandem, huius Ref. & latissime in Ref. præteriti & in aliis eius primæ not.

Ref. 15 §.
Sed, confu-
matur, &
inferius in
11.6. Ref. 28.

Sup. hoc in
Resolutio-
nibus & §.
not. prae-
terea.

Sup. hoc su-
pra in Ref.
33. §. No-
randum est,
& in Ref.
34. §. 1. post
medium a
vers. Ita Co-
lestinus, &
seq. & in
Ref. 35 §. Et
tandem in
ter medium,
& finem,
vers. Solet
lex & infra
in Ref. 78. §.
Sed & infe-
rius in tr. 2.
Ref. 23 §. Sed
maior, & §.
Sed confir-
matur, & in
tr. 6. Ref. 28.
& in tom. 7.
tr. 1. Ref. 19.
§. 1. & in
Ref. 232 §. 1.
ad medium.

Sup. hoc le-
ge doctri-
nam Ref. 1.
per totam, &
in tom. 6.
tr. 1. Ref. 83.
§. vit.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse existimus, quam tueretur Sanchez, se retractans in *summa*, tom. 1. l. 2. c. 10. n. 38. Filiucius, tom. 2. v. 22. c. 6. n. 105. Bosfac, de *conf. disp.* 2. §. 5. punct. 4. n. 9. Duardus, in *Bulla Cœna*, l. 2. §. 36. n. 3. & alij, quia verba legis penalis non sunt extendenda ultra proprium significatum, sed qui operatur cum ignorantia affectata, non operatur scienter. Ergo non incurrit in excommunicationem contra aliquid scienter facientes latam, & hoc procedit, si ignorantia affectata sit juris, siue facti. Vnde ex his aliqui docent legentes libros hæreticorum ignorantia affectata, non incurtere in excommunicationem latam in *Bulla Cœna*, quæ fertur contra scienter legentes: licet alij hoc non approbent, quia putant excommunicationes *Bulle Cœna* non esse penales, sed favorabiles; cum sint lata principaliter in favorem Dei & animarum. Vtraque opinio est probabilis.

3. Notandum est etiam ex supradictis à fortiori non incurtere in censuram, qui ex ignorantia crassa, siue sit juris, siue facti violat excommunicationes latas contra scienter aliquid facientes, vel præsumentes facere. Et hanc sententiam ex pluribus Doctoribus probat novissime Merolla, in *disp. Theol. mor. disp.* 1. c. 2. dub. 6. n. 232. cui addo doctum Anguianum de *legibus*, tom. 1. l. 4. contr. 4. n. 18. quidquid in contrarium asserant Doctores citati per Tiraq. *tr. de penis temp. causa* 13. n. 22. qui post Glossam, in *c. finali, de offic. delegati*, in 6. inadvertenter tradiderunt penas contra nescientes præscriptas obtinere, idèque contra ignorantem per ignorantiam crassam. Sed tu nostram sententiam tene. Notentur hæc à Confessariis; nam ex illis multos scrupulos sedabunt. At post hæc scripta inveni omnia supradicta docere iterum doctum Bonacinam, in *Bulla Cœna*, t. 3. *disp.* 1. §. 2. punct. 4. n. 9.

RESOL. XXXVII.

An incidat in censuram *Bulla Cœna*, qui falsificat litteras Apostolicas secundum mentem Pontificis?

Et quid licendum est de illo, qui integras litteras fabricat?

Sed si ponas aliquem non habuisse partem in falsificandis litteris Apostolicis, sed illis utendi, post quam falsificata fuerint, queritur, an sit hac censura excommunicatus?

Idem est de illo, qui falsas impetrat litteras.

Et notatur defensores, & fautores falsificantium litteras Apostolicas; imò illas per alios falsificantes non incurtere censuram *Bulle Cœna*, sed censuram cap. Ad falsarium, quia censura huius capituli reservata non est. Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. Refol. 15.

§. 1. Verbi gratia, supplicatio facta est pro dispensatione in consanguinitate, & Notarius apposuit loco consanguinitatis affinitatem. Item, supplicatio facta est pro impedimento secundi gradus, & tamen litteræ per errorem expeditæ sunt pro tertio: an, inquam, si ista corrigantur juxta mentem Pontificis, correctio hæc falsitatem inducat, & censuram? Affirmat, ut probabilius Suarez, *disp.* 2. l. 1. scilicet. 2. n. 47. Alter, *lib. 5. disp.* 7. c. 2. *propos.* 2. & Soufa, in *Bulla Cœna*, c. 7. *disp.* 42. *concl.* 4. n. 8. Probatur: quoniam hæc mutatio est magni momenti: & licet mens Summi Pontificis fuerit, concessionem facere juxta mutationem factam; intentio ejus non est, ut error litterarum per alios, quam per ministros ad id deputatos corrigatur. Deinde, non licet novas litteras fabricare in prædicto casu, & loco aliarum supponere: ergo neque jam expeditas sic mutare. Tandem, in hac cen-

sura non prohibetur falsificatio mentis Pontificis, sed litterarum apostolicarum: quod in casu conclusionis revera contingit.

2. Sed ego adhareo opinioni negativæ, quam tueretur Sayrus, de *censur. lib.* 3. c. 10. num. 12. Megalla, tom. 4. *lib.* 3. c. 1. §. 1. n. 4. Reginaldus, tom. 1. *lib.* 9. n. 288. Nald. in *sum. verb. Falsum*, n. 4. & alij: quia illa mutatio verborum, comparatione Pontificis, mutatio non est, cum ejus intentioni, & concessioni conformis sit ergo falsitatem inducere non potest. Etenim mutatio sensus non tam est attendenda secundum verba materialiter posita in ipsa *Bulla*, quam secundum intentionem Pontificis *Bullam* expredientis. Nam, si licet est errorem manifestum Scriptoris emendare, sensu retento; cur non licebit errorem commissum contra mentem, & intentionem Pontificis: Præterea litteræ sic correctæ, cum Pontificis intentioni conformes sint, veræ, & non falsæ sunt appellandæ. Ergo sic corrigens falsarius esse non potest; sed veri sensus, & mentis Pontificis restitutor. Secus verò est dicendum de eo, qui integras litteras fabricaret: quia illa litteræ, utpote à Pontifice non expeditæ, supposititiæ sunt, & falsæ. Imò addit Sayrus, *ubi supra* nec in dictam censuram incurtere illum, qui corrigere litteras Papæ exemplaris, vulgò, *minute*, Papæ oblate, & immutatæ à scriptore litterarum, si certus est de tal mutatione facta sine mandato Papæ, quia hic non esset immutator; sed potius restaurator veri sensus, & mentis Pontificis. Dicit tamen, hoc passim non esse faciendum, sed cum consilio peritorum. Et forte, si quis à me consilium in hac re peteret, (quamvis potius non sim,) hanc emendationem nunquam consulerem, cum vix dari possit casus, in quo quis esse possit certus de mente Summi Pontificis.

3. Nec obstat dicere cum Cajetan. *verb. Excommunicat.* num. 26. Sylv. *eodem verb.* 7. n. 8. §. Corrigente. Panor. in *cap. Ex litteris, de fide instrum.* mutantes etiam litteram vnam in litteris Apostolicis manere excommunicatos. Quorum sententia sic probatur: Olim in privilegiis Summo Penitentiario concessis erat, quod posset absolvere ab excommunicatione, quæ incurritur propter mutationem litteræ, vel puncti in litteris Apostolicis, sensu non mutato: ergo quæcumque mutatio in litteris Apostolicis, sufficiens est ad incurrendam censuram huius Canonis.

4. Ex dictis inferitur cum Duaro in *Bulla Cœna*, l. 2. can. 6. §. 8. n. 8. quod si in supplicatione dictum esset, Titio Ariminensi, & errore Notarii scriptum esset, Titio Pisauriensi, corrigens, & ponens, pro ut in supplicatione, non peccat. Sicut nec Presbyter, qui in litteris sui beneficii correxerit aliquid huiusmodi, quod rei substantiam, eiusve qualitatem non mutat.

5. Sed pone aliquem, nullam habuisse partem in falsandis litteris Apostolicis, sed illis uti, postquam falsatæ fuerint; queritur, an sit hac censura excommunicatus? Et videtur respondendum esse affirmative: quia, qui vitur falsis litteris, tanquam falsarius puniatur, ut in cap. *Ad falsarium*, in *fin. de crim. fals. cap. Inter dilectos*, §. *Præterea de excess. Prelat. leg. Falsi nominis*, ff. *ad leg. Corn. de fals.* Et idem est de eo, qui falsas impetrat litteras, ut in *dict. cap. Ad falsarium*. Negativam nihilominus sententiam tenent: nam, cum Papa hic excommunicet, non falsarios in genere; sed tantum falsarios litterarum Apostolicarum, & hic, quamvis peccet peccato falsitatis circa litteras Apostolicas, formaliter tamen non potest dici falsarius litterarum Apostolicarum; & terminari sunt formaliter intelligendi in qualibet facultate. Ita Suarez, Soufa, & alij *ubi supra*.

6. Item nota, defensores, & fautores falsificantium litteras Apostolicas; imò illas per alios falsificantes, non incurtere in censuram *Bulle Cœna*, sed in censuram